

quum audissent, quod prateriret. Crediderunt autem, quod Iesus qui ex semine Dauid secundum carnem, possit curare illos, & planè multum feruebant fide, neque dum tacere iuberentur, silebant: sed longe amplius clamabant. Vnde non interrogauit illos an fidem habeant, sed quid uellent: ne quis existimet, quod alia det alia uolentibus. Non strans igitur, quod non pecuniæ gratia ad se clamarint, sed ut curentur. Tactus autem curat: ut discamus omnia suæ sanctæ carnis membra, uiuifica & dei membra esse. Quod autem Lucas & Marcus unum dicunt cæcū fuisse, nō ab his dissonat: illi enim insignioris mentionem fecerunt. Vel aliter, Lucas dicit, quod antequam ueniret in Hiericho, curauit cæcum. Marcus autem postquam exiuit de Hiericho. Matthæus uero breuitatis amator, in uno utrunque complexus est. Intellige autem per cæcos, eos qui ex gentibus, qui secus uiam curati sunt. Non enim præcipue uenit Christus propter gentes, sed propter Israëlitas. Quemadmodum autem cæci audiendo didicerunt de Iesu, sic & gentes ex auditu fidei. Hi autem, qui silentium imperant cæcis, ne clamando inuocent nomen Iesu, sunt persecutores, tyranni, qui attentant ecclesiæ os obturare: sed illa multo magis confitetur nomen Christi, idcirco sanatur & uidet ueritatis lumen clarius, & sequitur Christum, uitam eius imitando.

C A P V T X X I.



ET quū appropinquassent Hierosolymis, & uenissent Bethphage ad montem oliuarum, tunc Iesus misit duos discipulos, dicens illis: Ite in castellum quod contra uos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea. Soluite, & adducite mihi. Et si quis uobis aliquid dixerit, dicite: Dominus his opus habet. & confestim emittet eos. Hoc autem totum factū est, *Esaiæ 62.* ut adimpleretur quod dictum est per prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion, ecce rex tuus uenit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis. *Zach. 9.* Sedit super asinam, nō in ullum aliū usum, quā ut impleretur prophetia, & ut ostēderet quomodo oporteat uiliter uehi: non enim equo, sed asello uili uectus est. Implet igitur prophetiam, & iuxta historiam, & iuxta anagogen. Nam iuxta historiam uisibili asino insedit: & iuxta anagogen quoque nouo, indomito, & obedientiæ nescio populo. Ligati autem erant asina & pullus catenis suorum peccatorum. Duo missi sunt ad soluendum, Paulus quidem ad gentes, Petrus uero in circumcisionem, hoc est ad Iudæos. Et usque in hodiernū diem duo nos saluant, Apostolus & Euangelista. Venit autem Christus mansuetus. Non enim uenit ut iudicet mundum in primo aduentu, sed ut saluet. Et alij quidem reges Iudæorum fuerunt rapaces, & iniusti: Christus autem mansuetus.

Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præceperat illis Iesus. Et adduxerunt asinā & pullum, & imposuerunt super eos uestimenta sua, & collocarunt eum super illa. Lucas quidem & Marcus subiugalem solum dixerunt: Matthæus autem asinam & pullū. Non dixerunt autem contraria: ducentes enim pullum sequuta est mater. Collocauerunt autem eum super illa: non super duo iumenta, sed super uestem. Primum quidem sedit super asinam, postea super subiugalem: quia & primum quieuit in Iudæorum synagoga, deinde in gentili populo.

Plurima autem turba strauerunt uestimenta sua in uia: alij uero cædebant ramos de arboribus, & sternebant in uia. Porro turbæ quæ præcedebant & quæ sequebatur clamabant, dicētes: Hos anna filio Dauid, benedictus qui uenit in nomine domini, hos anna in altissimis. Iuxta historiam, multum in se habet honoris uestes strauisse, & ramos obiectasse: nam ostendūt magnam gloriam. At iuxta anagogen discite, quod postquam apostoli superposuerunt uestimenta sua, uirtutes inquam suas, tunc super illas sedit dominus: nam nisi anima nostra ornata fuerit apostolicis uirtutibus, non equitabit eam dominus. Præcedentes, sunt prophætæ, qui ante incarnatum Christum fuere. Sequētes autem, martyres & doctores, qui uestimenta sua sternunt Christo, hoc est carnem subiiciunt spiritui. Vestimenta enim & tegumenta animæ, corpus. Strauerūt igitur in uia, hoc est in Christo. Ego enim sum uia, inquit. Si enim quis carnem suam nō strauerit, hoc est humiliayerit,

humillauerit, in uia, hoc est in Christo manens, & non haereticus existens, non infidebit in eo dominus. Hos anna autem quidam dicunt, quod hymnum uel psalmum significet: alij autem id quod euidentius, Salua obsecro. Venturus autem dicitur dominus, quia expectabatur ab Hebraeis uenturus. Sic enim & Ioannes dicit: Tu es qui uenturus es, hoc est qui expectaris ut uenias, eo quod aduentus eius quotidie expectabatur. Debeamus & nos omnes consummationem mundi, & aduentum Christi expectare ac preparari.

Et quum intrasset Hierosolyma, commota est uniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic? Turbae autem dicebant: Hic est Iesus ille propheta à Nazareth Galilaeae. Turbae simplices & candidae, neque inuidebant Christo, neque opinionem indignam Christo habebant. Ideo & nunc prophetam illum dicit: nunquam autem, si sine articulo dicatur propheta, potest intelligi quod hic sit qui expectetur propheta, de quo dixit Moses: Prophetam uobis deus excitabit. Non enim dixerunt, Hic est propheta: sed propheta ille, hoc est, ille qui expectatur. Deut. 18.

Et intrauit in templum dei, & eiecit omnes ementes & uendentes in templo, mensasque collybistarum, & cathedras uendentium columbas euerit, & dixit illis: Scriptum est: Domus mea, domus deprecationis uocabitur: at uos fecistis illam speluncam latronum. Tanquam dominus domus, hoc est templi, eiecit uendentes: ostendens ea quae patris sunt, & sua esse: interim etiam honestatis templi curam habens, sed & translationem sacrificiorum significans, eo quod eiciendo boues & columbas praesignauit, non ultra opus sacrificio & immolatione, sed oratione. Domus enim mea (inquit) domus deprecationis, uos autem fecistis illam speluncam latronum. In speluncis enim latronum fiunt mactationes & sanguinis effusiones. Vel etiam propter negotiatores, ementes & uendentes, speluncam uocauit templum. Auaritia enim & lucri cupiditas, latronum morbus est. Collybistae autem sunt, qui apud nos dicuntur mensarii. Collybos enim species est uilis nominis, sicut habemus & nos obulos & minuta. Vendunt autem columbas & hi, qui in ecclesijs gradus uendunt. Spiritus enim gratiam, qui est columba, uendunt, unde eiciuntur ex superno & inferno templo. Indigni enim sunt sacerdotio fungi. Vide autem & tu, ne forte templum dei, cogitationem tuam facias speluncam latronum daemoniorum. Fit autem spelunca, si habuerimus cogitationes carnalibus rebus amicas, uendentes & ementes: & ita lucri cupidas, ut & collybos & uilia nominis congregent. Et si uendiderimus & emerimus columbas, hoc est si quod in nobis fuerit spirituale dogma, & inhonesta cogitatio talis, speluncam latronum fecimus nos. Esai. 56. Hier. 7. Collybistae.

Et accesserunt ad eum caeci & claudi in templo, & sanauit eos. Per infirmos quos curauit, ostendit se deum esse & benefacere, eiciens cum autoritate e domo sua indignos. Declaratur etiam hoc, quod eiecit Iudaeis qui legi & animalium mactationi addicti erant, caeci & claudi ex gentibus assumpti, fuerint sanati ab eo.

Quum autem uidissent principes sacerdotum & scribae mirabilia, quae fecerat, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hos anna filio Dauid: indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Iesus autem dicit illis: Quid nunc? Nunquam legistis, Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem? Pharisei quum uideret pueros hymnum Dauid offerre Christo, quem uidetur propheta deo obtulisse: dissecabantur inuidia, & interpellant illum, quod permittat de se dici, quae soli deo debentur. Ille autem magis approbans dicit: Etiam. Tantum abest, ut obturem ora talium dicentium, ut & prophetae testimonium adducam, & uos ostendam uel imperitos, uel inuidos. Nescitis enim, quod ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Perfecisti autem, significat perfectam & absolutam ostendisti laudem, etiam si illi propter aetatem imperfecti & uiles uideantur. Non enim illi dicebant quae dicebant, sed os solum accommodantes, spiritus organa fuerunt. Et ideo dicit, Ex ore infantium: coniectans quod os solum diuina gratia mouebatur. Significatur item quod a gentibus, quae simplices & stultae erant, bene dicendus esset. Erat autem & apostolis consolatio, dandum & sibi sermonem, tametsi perquam uiles forent. Et tu si innocens fueris, a malitia paruulus, luxerisque spirituale lac diuinorum eloquiorum, dignus eris qui laudes & praedices deum.

Et relictis illis, exiit e ciuitate in Bethaniam, & diuersatus est illic. Secedit ab illis,

Cap. XXI. THEOPHYLACTI ARCHIEP. BVLGAR. IN MATTHAEVM

ut ab indignis. Et uenit in Bethaniā, hoc est domū obediētiā. Ab inobedientibus em̄ ad obediētes se confert, & inter illos uersat. Dicit em̄, habitabo in eis, & ambulabo in eis.

Mane autem reuertens in ciuitatem, esuriit. Et quum uidisset fici arborem unam in uia, uenit ad eam, & nihil inuenit in ea, nisi folia tantū, & ait illi: Ne posthac ex te fructus nascatur in aeternum. Et arefacta est continuū ficus. Et eo uiso, discipuli mirati sunt dicentes: Quomodo continuū exaruit ficus? Quoniam dominus frequenter miracula operatus est, & in omnibus hoc spectauit ut beneficeret, nullum autem ostēdit, quo puniret: ne putaret, quod nō posset punire, ostendit hoc loco & hanc suam potestatem: non in hominem illa utens, sed arborem, utpote misericors, sicut & antea in porcos. Arefacit igitur arborem, ut emendet homines. Porro discipuli merito admirantur. Arbor enim illa humidior est, & maius ostendit miraculū, eo quod statim exaruit. Ceterum ficus, & Iudaeorum significat synagogam, folia sola habentem, hoc est ostendentem literam, nō fructum spiritus. Sed & omnis homo exponēs se delicijs huius uitae, ficui comparatur: quia fructum non habet spiritualem, ut esurienti le su det: folia autem tantum, & tempo-

Matth. 25. ralem ac defluentē apparentiam. Hic igitur maledictum audiet: Ite enim (inquit) maledicti in ignē. sed & arefcet: nam dum cruciat in igne, arefcit eius lingua, sicut & diuitis.

Lucā 16. Respondens autem Iesus, ait illis: Amen dico uobis, si habueritis fidem, & non hæsitationis, non solum hoc quod accidit ficui facietis, uerumetiam si monti huic dixeritis,

Ioan. 4. & 16. tollere, & proijce te in mare, fiet. Et omnia quaecūq; petieritis in deprecatione credentes, accipietis. Magna Christi quam discipulis dat promissio, quod possimus montes transferre, si nō ambigui fuerimus fide, & hæsitationis. Quaecūq; enim petiuerimus citra hæsitationem fidentes diuinā uirtuti, accipiemus. Etiam inquit, si petiuerimus & quod non conducibile, credam autē insipienter, quod hoc mihi det dominus, accipiam: ne igitur & illud quod mihi non expedit: Deus igitur quomodo misericors, siquidem meam petitionem, quae mihi non prodest, adimplet? Audi ergo. Primum, quum audieris fidem, non stultam illam fidem, sed eam quae reuera fides est accipe, & deprecationem illam quae utilia petit, sicut tradidit dominus, dicens: Ne inducas nos in tentationem, sed libera nos à malo. & quae in ea oratione sunt uerba. Insuper uide & uerbum, hæsitationis. Nam qui unitus fuerit deo, & unus est cum illo, & non discretus & separatus, quomodo petet quod inutile est: unde si indiuisi & indiscreti fuerimus à deo, conducibilia petemus à deo, & accipiemus.

Matth. 6. Et quum uenisset in templum, accesserunt ad eum docentes, principes sacerdotum & seniores populi, dicentes: Qua auctoritate haec facis? & quis tibi dedit istam auctoritatem? Respondens autem Iesus, dixit eis: Interrogabo uos & ego quiddam: quod si dixeritis mihi, & ego uobis dicam, qua auctoritate haec faciam. Baptismus Ioannis unde erat: è caelo, an ex hominibus? At illi cogitabant apud se, dicētes: Si dixerimus, è caelo, dicet nobis: quare ergo non credidistis illi? Sin autem dixerimus, ex hominibus, timeamus turbam. Omnes enim habebant Ioannem, ut prophetam. Et respondentes Iesu, dixerunt: Nescimus. Ait illis & ipse: Nec ego dico uobis, qua auctoritate haec faciam. Inuidentes legisperiti Iesu, quod eiecisset è templo negociantes, accesserunt ad eum, & talia quaedam rogauerunt: Quis tu es, qui è templo ejcis negociantes: nunquid hoc facis ut sacerdos? Et tu quidem sacerdotalem dignitatē nō habes. Num hoc facis ut rex: enim uero neq; rex es: neq; si esses, liceret tibi haec facere: non enim licet regibus in templo aliquid agere. Interrogabant autem haec à domino, ut siquidem diceret, Mea potestate haec facio: accusarent eum ut rebellem, & propriam potestatem se habere dicentē. Sin autem diceret, diuina potestate haec facio: abducerent ab eo turbas, illum ut deū laudantes: monstrantes turbis, ecce Iesus ille non est deus, sed potestate dei haec facit ut seruus. Quid igitur Christus ipsemet sapientia? Comprehendit sapientes in uersutia sua, & interrogat eos de Ioanne similia, ut siquidem dicerent, E caelo fuit praedicatio Ioannis: comprobarentur deo aduersarij, quod illam non suscepissent. Si autem ex hominibus dicerent, periclitarentur propter turbam. Omnes enim ut prophetam habebant Ioannem. Ostendit autem hoc loco dominus, quod maligne interrogantibus non oportet

1. Corinth. 1.

teat

reat respondere. nam nec ipse phariseis respondit, quamuis nulla respondendi difficultas esset. Discimus autem interim, quod semetipsum laudare non est iuxta Christi doctrinam. Ecce dominus enim, qui potuit dicere qua potestate hæc faceret: non dixit, ne seipsum laudare uideretur.

Quid autem uobis uidetur? Homo habebat duos filios, & accedens ad priorem, dixit: Fili, uade hodie operare in uinea mea. Ille autem respondens, ait: Nolo. Postea uero poenitentia motus, abiit. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: Ego domine. & non abiit. Vter è duobus fecit, quod uoluit pater? Dicunt ei: Prior. Dicit illis Iesus: Amen dico uobis, quod publicani & meretrices præcedunt uos in regno dei. Venit enim ad uos Ioannes per uiam iustitiæ, & non credidistis ei: publicani autem & meretrices crediderunt ei. Vos autem quum uidissetis eum, non fuistis commoti poenitentia postea, ut crederetis ei.] Duos ordines inducit, unum principio pollicentium, quales fuerunt Iudæi, qui dixerunt: Omnia quæcuncq; dixit deus, faciemus & audiemus. Alterum eorum qui non statim persuasi sunt: quales sunt meretrices & publicani, & qui ex gentilium populo, qui ab initio non crediderunt uoluntati diuinæ, postea autem poenitudine ducti, obedierunt. Vide igitur sapientiam Christi. Non statim à principio dixit illis, Meliores uobis publicani sunt & meretrices: sed prius cepit ipsos, & confessi sunt quod ex duobus filiis ille obediens fuerit, qui fecerit uoluntatem patris. Postea ubi hoc confessi fuerunt, subdidit uenisse Ioannem per uiam iustitiæ, hoc est in uita irreprehensibili. Non potestis enim dicere, uitam Ioannis fuisse reprehensibilem: attamen meretrices ei obedierunt, uos autem non. Idcirco & præcedent uos, ante uos ingredientur in regnum coelorum: ita ut si & uos laboraueritis, uel post illas intrabitis: si autem increduli fueritis, nunquam intrabitis. Multi autem etiam hodie pollicentur deo & patri monachos se futuros forte uel sacerdotes, post promissionem autem negligentes sunt. Alij autem monasticam uel sacerdotalem uitam polliciti non sunt, sicut monachi, tamen uel sacerdotes uiuunt: atq; ita illi sunt obedientes pueri, qui faciunt, etiã si nihil promiserint.

Aliam parabolam audite. Homo quidam erat paterfamilias, qui plātauit uineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, ac peregre profectus est.] Aliam parabolam eis affert, ostendens quod licet summa diligentia eis exhibita sit, nō meliores facti fuerint. Homo enim paterfamilias, dominus, qui propter misericordiam homo appellatur. Vineam autem, populus Iudæorum, plantatus à deo in terra promissionis. Introducēs enim inquit, plantabis eos in monte sancto. Sepes autē lex, non sinens eos gentibus misceri, uel angeli custodientes Israël. Torcular altare. Turris, templum. Agricola uero doctores populi, pharisei & scribae. Profectus est autem paterfamilias deus, quando in columna nubis loquutus est eis. Vel peregrinatio dei, longanimitas eius. Videtur enim deus & dormire, & peregre proficisci, dū longanimitas est, & non è uestigio peccatorum poenas exigit.

Quum autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos ad agricolas, ut acciperent fructus ipsius. Et agricolæ apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium uero lapidauerunt. Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter. Nouissime autem misit ad eos filium suum, dicens: Reuerbuntur filium meum. Agricola autem uiso filio, dixerunt intra se: Hic est hæres, uenite occidamus eum, & occupemus hæreditatem eius. Et apprehensum eum, elecerunt è uinea, & occiderunt.] Appropinquauit tempus fructuum, prophetarum temporibus. Serui enim missi, fuerunt prophetae, quos uarijs affecerunt iniurijs agricolæ, hoc est qui tunc erant falsi prophetae & falsi doctores. Et alium quidem percusserunt, ut Micheam. Sedechias enim eum in maxillam percussit. Alium autem occiderunt, ut Zachariam inter templum & altare. Alium uero lapidauerunt, ut Zachariam filium Iodoë pontificis. Postea missus est filius dei, in carne apparens. Quod autem dixit, Reuerbuntur filium meum: non ignorans dicit quod illum occiduri essent, sed significare uolens quid facere deberent. Oportebat enim inquit, licet seruos occiderint, uel filium reuereri. Agricola autem uiso ipso, dixerunt: Hic est hæres, uenite occidamus eum. Etenim Iudæi qui dicebāt, Hic est Christus,

2. Par. 24.

Cap. XXII. THEOPHYLACTI ARCHIEP. BVLGAR. IN MATTHAEVM

Extra uineam ipsi illum crucifixerunt. Eiecerunt autem eum extra uineam, nam extra ciuitatem occisus est dominus. Propterea quia uineam dicebamus esse populum: extra uineam, hoc est prater simplicis populi sententiam occiderunt pharisaei & mali agricolae.

Quum ergo uenerit dominus uineae, quid faciet agricolis illis? Dicunt illi: Mali quum sint, male perdet illos, & uineam suam locabit alijs agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis. Quum uenerit. Quando? num in secundo aduentu? uidetur quidem & hoc sentire, ueruntamen melius sic intelligitur: Dominus uineae, deus & pater, qui misit filium suum ab illis occisum. Quum igitur uenerit, hoc est quum ipse respexerit ad iniquitatem quam fecerunt Iudaei, tunc malos male perdet, misso Romano exercitu, & uineam suam, hoc est populum, locabit alijs agricolis, hoc est apostolis & doctoribus. Intellige item per uineam diuinas scripturas, in quibus sepes quidem litera est: torcular autem defossum, profundus spiritus: turris autem theologia, quae summa est & diuina. Has itaque scripturas habebant prius mali agricolae pharisaei: locauit autem nobis deus eas bene colentibus. Illi enim dominum occiderunt extra uineam, hoc est prater iussum eorum, quae dicebant scripturae.

Psalm. 117. Dicit illis Iesus: Nunquam legistis in scripturis, Lapidem quem reprobauerunt aedificantes, hic factus est in caput anguli: A domino factum est hoc, & est mirabile in oculis nostris: Idcirco dico uobis: Auferetur a uobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem autem ceciderit, illum conteret. Lapidem seipsum nominat: aedificantes autem, magistros Iudaeorum, qui illum quasi inutilem reprobauerunt, dicentes: Samaritanus es tu, & daemonium habes. Ipse autem quum surrexisset ex mortuis, positus est in caput anguli, hoc est caput ecclesiae factus est, coniungens Iudaeos & gentiles in una fide, sicut enim lapis angulum in domo faciens, continet hac & illac murum: sic & Christus nos omnes in unam fidem colligauit. Angulus autem ille admirabilis est, & a domino est factus. Ecclesia enim nos cohibens, & unita fide a domino facta est, & est magna admiratione digna, eo quod pulchre aedificata sit. Est autem & alia ratione admirabilis, eo quod miraculis firmatus est & confortatus sermo domini, & ita ecclesiae quoque constitutio admirabilis. Ablatum igitur est regnum dei a Iudaeis, hoc est peculiaritas qua dei proprij erant, & datum est his qui crediderunt. Qui enim impingunt in lapidem, & offenduntur in Christo Iesu, confringentur quidem in secundo aduentu, ueruntamen & hic conterentur ab ipso, hoc est dispersi sunt ubique terrarum: sicut uidemus nunc miseros Iudaeos. Conteret, hoc est ita conteret ut dispergat eos.

Et quum audissent principes sacerdotum ac pharisaei parabolas eius, cognouerunt quod de se diceret. Et quarentes illi manus iniicere, timuerunt turbas, quoniam tanquam prophetam eum habebant. Iterum uide, quod turba quidem simplex & fuci nescia sequitur ueritatem, legisperiti autem maligne agunt. Et usque in hunc diem quaerunt Hebraei Iesum comprehendere, sed non comprehendunt, neque intelligunt. Antichristum autem comprehendent & ipsum adorabunt: at Christus non capiet, hoc est non intelligitur ab eis,

C A P V T X X I I.

Respondens Iesus, dixit illis per parabolas, dicens: Simile factum est regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & emisit seruos suos ut uocarent inuitatos ad nuptias, & nolebant uenire. Iterum emisit alios seruos, dicens: Dicite inuitatis, ecce prandium meum parauit, tauri mei & altitia mactata sunt, & omnia parata, uenite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, & abierunt: alius in uillam suam, alius uero ad negotiationem suam: reliqui uero tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos, occiderunt. Rex autem quum audisset, iratus est, & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit. Et haec parabola Iudaeorum inobedientiam subindicat, sicut & superior de uineae. Verum sicut illa mortem Christi, ita haec nuptiale gaudium, hoc est resurrectionem declarat. Ceterum haec monstrat multo atrociora, quae patrarint illi, quam superior.